Cracoviensis Studiu. Univ. Jagell.

Promotiones Ordinis Philos. Poezja 2853.

1646 Commut. aestiva.

Zelechowski Stanislai: Botri autumnales

in variis partibus orbis nati etc

BOTRI AVTVMNALES

IN VARIIS PARTIBVS ORBIS NATI

ET

NOBILIBVS ADOLESCENTIBVS

DVM

In fertilis: DIVI IAGELLONIS Vineto

ALMA ACADEMIA CRACOVI:

Primâ in Artibus & Philosophia Laureâ,

AB

Excellentissimo & Doctissimo Domino

D. STANISLAO TEMBERSKI

Philosophiæ Doctore & Professore Collega Minore Infrequentissimo Illustrium Hospitum Confluxu REDIMIRENTVR.

A

STANISLAO ZELECHOWSKI

Eiusdem Laureæ Candidato

OBLATI

CRACOVIÆ *Mart: Phil; Anno Dni.* 1646.

INSTEMMA MECÆNATIS



Obrueret genij Multorum Sors Mala Cymbas,
Hæc ferret Ni illis Anchora fortis opem.
Æt Mea Ne Subitis iactetur Musa procellis,
Jllius teneas Anchora firma ratem.

Perillustri & Admodum Reuerendo Dño.

D. CHRISTOPHORO SAPELIO

Sacræ Theologiæ Doctori.

ECCLESIARVM

Cathedralis Cracouiensis Canonico,

COLLEGIATARVM

Sanctorum Omnium Crac: & Kielcensis

DECANO

S. R. Maiestatis Secretario:

Domino & Mecænati suo longè dignissimo.

Vagabatur longo tempore Perillustris & Admo: Reuerende Domine, hæc mea Musa, in pinguibus Russiacis oris nata, in Fertilissimo D. IAGELONIS Vineto educáta, autumnalibus, ad insigniendas præclaras animi dotes Optimorum Iuuenum primám Philosophiæ Láuream prensantium, onusta botris; quærens sub Cuius Patroni Nomine liberè lucem publicam aspicere valeret. Conscia enim tenuitátis (& vt verius dicam) nullitatis suæ, verebátur, ne, sicut fortissimas quãuis pretiosissimisq; rebus instructas Triremes, Cortice verò peritoq; Nauclero, Cuius & Consilio regantur & Ope iuuentur destitutas; sæuientium tamen procellæ vndarum absumunt, Vorticesq; æstuantis Maris deuorant: Si in solem lucemq; publicam sine Patrono prodiret, naufragium aliquod páteretur. Et ecce vagabunda, variorumq; Magnatum limina lustrans.

ſtrans, diuino quodam inſtinctu Excelſum Heliconem, Caſtiſſimarum Muſarum nobiliſſimum domicilium, earundem Cultorum tutiſſimum aſylum, Doctiſſimorum & eruditiſſimorum Virorum Auguſtiſſimum & perenne quoddam Sacrarium, Perilluſtrium & Admodum Reuerendorum D. D. Canonicorum Cracouien: Venerabile Collegiũ aduertit. Vbi te Mecænas ampliſſime tanquam facundiſſimum Apollinem, Cuius dulciſonam Cytharam (Auream copiosè loquẽtis ſapientiæ Maieſtatem perilluſtris & Admo: Reuerendæ Dominationis tuæ intelligo) non tantum fæcundiſſima ingeniorum Parens, & benigniſſima altrix Academia, non tantum Celeberrima Metropolis Sarmatiæ, non tantum Vniuerſum Poloniæ Regnum; verũm etiam longè latèq; à nobis diſtantes exterarum Nationum Regiones admirantur: vidit & Magnitudinem doctrinæ, acrimoniam Iudicij, prudentiæ ſublimitatem, conuerſationis humanitatem, Zelum amplificandæ fidei & [illegible]tus diuini, erga indigos & Pauperes munificentiam, amorem erga Muſas & earundem Cultores admirata; in Patrocinium tuum ſe ſe inſinuare cogitauit. Nihil dubitans Mecænas ampliſſime vt benignus Pauperum promotor, Muſarumq; Patronus & Fautor, quin ſis eam, incomptam licet (& vt ingenuè fatear) indignam ampliſſimo conſpectu tuo; animi tamen mei ad obſequia tua iam pridẽ anhelantis, & aliquomodo de Perillu: & Admodum Reuerenda Dominatione tua Mereri cupientis anteſignanam & indicem, ſub alas Anchoræ tuæ fugientem hilari & benigna dextera accepturus. Accipe Ergo illam Mecænas ampliſſime primum in te obſeruantiæ, & obſequiorum Meorum teſtimonium, Ampliſſimiq; nominis tui ſplendore illuſtratæ, fortiſſimæ Anchoræ Patrocinio Munitæ, omnes ſæuientis fortunæ procellas facilè eludere ominanti, & tibi Mecænas ampliſſime vt Felix, Fortunatusq; Eccleſiæ, Patriæ, Academiæ, Muſis, Neſtoris, vitam viuas, precanti. Faue & Foue.

Datum è Contubernio Philoſophorum die 17. Octobris.

Perilluſtr: & Admodum Reueren: D. T.
Cliens humillimus
Stanislaus Zelechowſki

Excellentiſſimo & Doctiſſimo Domino,

D. IACOBO SVSKI
PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS DECANO.

O D E
Tricolos Tetraſtrophos.

NOn tota Vernans gloria Militi,
Cui Mars ſuperbus ſpicula porrigit,
Cedit, ſuo vel qui Cruore
Dulcia tecta ſoli Paterni
Conſpergit; aſt ſunt Pallade prouida
Nati Gradiui, quêis ſine Sanguine
Magnam ferax Minerua Laudem
Contulit, hos Venerantur omnes.
Tu Docte SVSKI qualis es ô pugil!
Tuo, Mineruæ pulchra ſeueritas
Semper locum bonamque famam
Indidit, ingenio potenti.

Est Victus à te, pondere Consili,
Non vnus alto consilio valens,
Tuæ, viris semper Mitratis
Doctiloquæ, placuêre lites.
Ergò labori gloria debita
Iam peruolabit Flumina Vandala.
Et se Polonarum, vetabit
Marginibus cohibere, laudum.
Per exterarum littora Gentium,
Vino Madentum per iuga Montium,
Præstans feretur botrus, Almæ
Dulcia dona ferens, Palæstræ.

Ad Venerabiles

PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATOS

ODE

Tricolos Tetrastrophos.

Iô Camænæ, barbita personent,
Et dulce plectris ingeminent Melos;
Iam vestra Virtus Candidati
Iamq; labor, referent Coronam.

En IAGELONIS Vinea Fertilis
Fert Spontè vobis Munus Apollinis,
Non Munus è Co quod recisum est:
Quod venit ast Heliconis aruis.
Hîc recreantes languida Corpora
Dulces susurri, flant Zephyri leues.
In Atticis, tonsâ, Viretis,
Tempora condecorate, Lauro.
Règina Vobis en ACADEMIA,
Sceptrum, Coronam, grandia Munera
Confert, Suasquè vos nouellas.
Nomine Voceq; dicit altas.
Quæ digna reddam dona Sodalibus?
Iam quêis abundè Clara ACADEMIA
Effudit, & plus quàm Colonis
Fert Tagus, auriferis arenis.
Aurata ferrem Munera? Munera
Aurata sed me Vos quoq; dedecent,
Fulgentius quid ære ferrem?
Inuenio nihil ære fulgens.
Ergò ampla desunt Cum mihi Munera,
Sit grata Vobis Vitis Apollinis;
Vester, Camænæ, Vel racemus

 Rhe-

Rheticus, aut Patiensuè botrus.
Ergò Sodales Nunc pede prospero,
Pictum Viretum, Scândite, floribus.
Celsosq; IAGELONIS hortos
Carminibus Celebrate lætis.

BOTRVS SPERCHICVS
V. D. IOANNI BIALAS.

Botrus Sperchicus in Sperchio Monte Nascitur, ex Cuius Summitate Velocissimo Cursu Fluuius defluit.

Sperchicum quicunq; Cupit Cognoscere botrum,
In te, mi BIALAS, enitet iste botrus.
Hæc plaga Nobilibus Spumat generosa racemis,
Tu Virtute ferax Nobiliore botris.
Fert eadem Calidis properantia Flumina Campis,
Sunt genij Celeris Flumina Magna tui.
Multi te socij Cupient Superare labore:
Istius sed tu Nobile Flumen ades.
Esto te Superent Studiorum Flumine longo;
Qui queat ingenij Vincere, Nullus erit.

BOTRVS RHETICVS
V. D. MARTINO LABĘCIOWICZ.

Botrus Rheticus inter generosa Vina Italiæ Numeratur. Strabo.

Itali-

Italicas ſi quis nitidas Conſpexerit arces,
 Perſpicuasq; domos Marmoreumq; Solum;
Diceret, eſt nil iam quô plus natura beare
 Italiam valeat, Sole quòd omne micet.
Hic eſt Relligio, Splendent altaria Diuûm,
 Splendent egregijs, Splendida tecta, Viris:
Ingenuis ſplendet genijs longeq; refulget,
 Hîc prægrata nouo Vina Sapore nitent.
Fors animum Noſtri MARTINI opulentia Regni
 Pertrahet? & dicet Patria Chara Vale,
Patria Chara Vale, Fratres Socijq; Valete,
 Atq; in perpetuum Lechia Magna Vale.
Siſte gradum. Quid diuitias Vis Viſere Mundi?
 Cæleſtes Patrius fert ACADEMVS opes.

BOTRVS METHYMNEVS
V. D. IOANNI DYMOWSKI

Botrus Methymneus a monte Methymneo dictus, optimi Vini ferace, a quo ortum habuit Arion præſtantiſſimus Cytharædus. Herodotus.

Nuda alij accipiunt DYMOWSKI dulcia Vina;
 Gnarus Arionis Sed tibi botrus adeſt,
Hic Cytharædus erit laſsæ recreatio mentis,
 Syſiphijq; quies tuta laboris erit.
Delphinas Valuit quondam hic placare Sub Vndis,
 Hic Potuit rabidas & domuiſse feras.

Dulcis Arionis tibi Sed quid Musica prodest?
Eloquium docti tu Ciceronis habes.
Hôc posſunt hominum durorum Corda Moueri.
Terribiles Vrſos flectere Suada poteſt;
Vocibus eſtq; tuis inflexa ACADEMIA Mater,
Nam tibi Dymoui Laurea Serta dedit.

BOTRVS PSYTHIVS Seu PASSVS
V. D. PAVLO GIBASZOWICZ

Botrus Pſythius Seu Paſſus ideò dicitur quia dum Sole aduritur patitur, Huic botro Mirabilis Virtus ineſt; Nam ſi Succum ex eo expreſſeris, & Corpori Succo deſtituto, tantundem aquæ, quantum Succi expreſſiſti admiſcueris, priſtinas acquirit Vires & Saporem.

Quis non attonitis botrum Spectabit ocellis,
Pſythia quem præſtans Vere tepente parit?
Hic Cum flammifero Siccatur Sole racemus,
Priuaturq; Suo nobilis vua mero;
Tum propera Siccam fluuiali Spargere lymphâ
Mille tibi fructus fænora Mille dabit.
Si quis PAVLE tuos poſset ſpectare labores
Diceret; En PAVLVS triſte Cadauer erit.
Hic, Si Conſperſum IAGELONIS Cerneret Vndâ,
Diceret: in Vultu perdita forma micat.
Pſythia iam vacuas botrum non tolle per auras,
Et CRACI Studijs vitis aduſta viret.

BOTRVS TRIFOLINVS
V. D. SIMONI ODROWAZKI

Botrus Trifolinus in Locis fragosis inuenitur, succus eius efficacissimus, Contra Morsus Viperarum traditur.

Non te pæniteat SIMON Subijsse Labores,
Aut Operi niueas applicuisse manus, proprias
In rigido Stas iam nemorosi Vertice Montis;
Nam Satur hoc botro nulla Aconita times.
Fertilis ast rigidus Mons est, ACADEMIA CRACI,
Cui quia Laurus adest, tunc Trifolinus adest,
His Ceu Palladijs qui cingunt tempora Sertis,
Inuidiæ hostilis Toxica nulla timent.

BOTRVS LYDIVS
V. D. STANISLAO BIALIKOWICZ

Botrus Lijdius a Monte Lijdos dicto Vocatur ex quo Mæander Fluuius decurrit, iterumq; ad suum Fontem redire Creditur.

Pinguis Nectareos Lijdi fert Vinea botros,
Defluit hinc placido murmure flumen aquæ.
Quod Cum flexiuago perlabitur orbe Triones,
Ad fontes Lijdios itq; reditquè Suos.
Est opus Vt Mæandrum STANESILAE figures,
Qui ex IAGELLONIS Viuere Fonte Cupis;
Vt Septem Nitidi Mundi peragrando Triones,
Ad Matrem redeas principiumq; tuum.

Illa Suo niueo Succo tuâ membra fouebit,
Dulcia BIALIKOWICZ Vbera Matris ama.

BOTRVS MASSILIANVS
V. D. ALBERTO SZAFLARSKI

Botrus Massilianus dicitur à Ciuitate Massilia, in qua Studia ingenuarum Artium adeò floruerunt, Vt Romani pro Attica peregrinatione Massilioticum peterent Gymnasium ad disciplinas Capessendas. Plautus.

Massilia adfuerit quôd quondam Candida botris
Non Mirum est; his Cum gaudet Vbiq; Solum.
Ingenuis Sed quòd Studijs bona pectora limat,
Mirum: Namq; eius limina Roma terit.
Quid prodest nugas ALBERTE tonare vetustas?
Hæc iam præterito tempore sũpta silent.
Fertilis est, valido spumans, ACADEMIA, botro,
Hîc dulces botros dulcia dona legas;
Hæc si Multiuagæ præbebis pocula menti,
Crede mihi genio & corpore pinguis eris.

BOTRVS TAYGETVS
V. D. FRANCISCO LIZNIEWICZ

Botrus Taygetus vocatur à Monte Taygeto quem Virgines Spartanæ frequentabant. Virg:

Taygeti est Celebris spatiosum Fama per Orbem,
Namquè suis patulis Collibus astra petit.

Hîc

Hîc grauidæ vites, hîc dulcia vina petuntur,
Germinat hîc tremulas florida Sylua Comas,
Hîc violæ ſuaues ſunt, luxuriantquê vireta,
Frigidus hîc roſeos irrigat amnis agros.
Hîc Molles pueri Saliunt hilaresq; Puellæ,
Turba roſas carpit, Cætera Serta parat.
Quid FRANCISCE times Caſtos cõſcendere colles?
Hîc Pallas docta & Caſta Minerua manent.
Elyſios pete Campos, florida ſcande Vireta,
Pallade cum docta ſerta Minerua dabit.

CALATHVS
V. D. STANISLAO STASICZ.

Calathus eſt vas in quo Violæ aut botri decerpti reponuntur.

Quæ Latinis

Cum tibi Pymplæos STASICZ volo mittere botros,
Cretica vel Gnoſijs vina liquata fauis.
Neſcio quis genius, voluenti talia, fatur :
Plus virtus præſtans STASICIANA cupit.
Sic ego : Parce precor Miſero puriſsima virtus,
Aurea poma tibi non habet arca mea.
Sed tamen vt quali potiaris Munere STASICZ
En Calathus Pauper qui tibi vina feret,
Vltimus es STASICZ, ſed do non vltima dona;
Nam quod habet omnes, hoc, tibi fert Calathus.

BEATO
IOANNI CANTIO
PATRIARCHÆ ET ILLVSTRI BOTRO
Fertilissimæ Vineæ
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVI.
ODE
Dicolos Tetrastrophos.

QVid leuem frustrà Calamũ retardas?
Quid tuas dulci resonando plectro
Languidas cogis, spatiose laudes
Dicere Mundo

Lyde? Taygetas rubicunda vites
Clio, vocali Celebrare buxo
Desine, aut quid te retinet Susurrô
Vinea Rheti?

Sperchiam viti tenerâ superbam
Vineam, dulcis Psythios Camæna
Linque iam botros, CRACIOS amænâ
Voce Saluta

CRA-

CRACIAM Molli Superaré vitem
Impos Alconis Viridis racemus,
Impos est Tmolus, nequiunt Cruenta
Vina Phalerna.
Quotquot hîc Cernis Celebres Magistros,
Tot Phalerneas ACADEMVS Vuas
Fert, quibus, fiunt, Iuuenes refecti,
Ore Marones.
Vineæ CRACI generosa vitis,
Clara Polonæ Cynosura Gentis,
Lechei ô te Columen Trionis
Candide CANTI.
Quô Canam plectro? tua quæuè gesta
Occinet digné fluido Camæna
Sæculo? Aut quæ te Nabathæa Diuum
Thura Mouebunt?
Vineæ vitis IAGELONIANÆ
Vera tu quondam, Modò pinguiores
Incolis campos, miserisq; læta
Vina propinas.
Cerne flammanti teneros Olympo
Surculos, pingui IAGELONIANÆ

Vineæ immissos, Calidosq; rore
Sparge Madenti.
Vstulat quando teneros racemos,
Torridâ flammâ Stygius Cupido,
Irriget Castæ moribunda membra
Copia Lymphæ.
Si furènti Austro dubijsquè ventis
Pellimur Cæci per iniqua Mundi,
Colloca nostram viridi fugacem
Littore Cymbam.
Vt procelloso Boreæ tumultu
Concitum Mundum Superemus omnes,
Simus & digni Nitidos Polorum
Scandere Muros.

Permissu Superiorum.